NORMAM ACTIONUM HUMANARUM SIVE LEGEM IN ILLUSTRI AD ALBIM ATHENAEO PUBLICAE...

Johann Jeremias Kern, Johann Conrad Roth, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

I. N. J.

§. I.

LEx vel à legendo, qvod ſcilicet ex pluribus, qvæ fieri poſſunt, conſultatione qvadam lecta ſit; vel à ligando, qvia obligat & ligat qvaſi inferioris voluntatem, ne illius agendi & non agendi libertas in effrenam licentiam vertatur, ſed conformetur voluntati ſuperioris, ortum trahens, diverſimodè accipi ſolet: Qvandoqve enim tàm latè patet, ac ipſa providentia divina, dicitqve ordinem qvo tota rerum univerſitas à Conditore Deo regitur & conſervatur: Interdum verò, ut cæteras ſignificationes & acceptiones ejusdem prætermittamus, pro actionum humanarum regula & menſura ſumitur, ad qvam ut juſtæ & rectæ evadant, conformari & examinari debent. Nos miſsô priori ſignificatu, poſteriorem pro inſtituto noſtro retinemus. Græcis νόμος dicitur, vel ἀπὸ τοῦ νέμειν à tribuendo, qvia per eam tribuitur unicuiqve, qvod ſuum eſt, ſive à mente, qvæ Græcè νόος & νοῦς vocatur, qvia qvaſi mens & anima Rerumpublicarum eſt. *Franc. Piccolom. phil. de Mor. Gradu 10. cap. XXIII.* Nuncupatur etiam jus; vocabulo juris non pro eo, qvod juſtum eſt, *Grot. Lib. I. de jure B. & P. cap. 1. §. 3.* nec pro qvalitate morali perſonæ competente ad aliqvid juſtè habendum vel agendum, *Grot. l. c. §. IV. Pufend. Lib. 2. de J. N.*

& G. Cap. 1. §. 20. Sed pro ipſa regula actuum moralium acceptô, *Grot. l. c. §. 9.*

§. II.

Rectè igitur Lex definitur, qvod ſit *regula à ſuperiore data & promulgata obligans ſubjectum, ut ad voluntatem ſuperioris actiones ſuas componat.* Genus abſolvit regula, qvia definitio regulæ Legi exactè convenit: Ad legem enim actiones morales ſufficienter examinari poſſunt. Non autem regula flexilis, ſed rigida eſt, veluti illa eximii ſtatuarii Polycleti, qvæ inter menſurandum ſe non accommodat ad habitudinem rerum, ſed ad qvam res menſurandæ ſunt accommodandæ. Cum autem normandi facultas nō legi tantùm, ſed rectæ etiā rationi tribuatur, qvæ actibus particularibus, ad qvos Lex, qvæ in genere, qvid faciendum omittendumve ſit, præcipit & vetat, non deſcendit; leges prudenter applicet & ſecundum ingenium circumſtantiarum accommodet, qvidve hic & nunc agendum ſit, oſtendat: *Legem pro Norma accipimus ſecuti Excell. Dn. Röhrenſee in Colleg. Eth. MS. Cap. II. Præcog. Aph. V. §. 13. & 18. ſed mediata & remota.*

§. III.

Formale legis in obligatione conſiſtit; qvæ vinculum juris eſt, qvo neceſſitate adſtringimur alicujus rei præſtandæ. *Etenim per obligationem frænum aliqvod morale injicitur noſtræ libertati agendi, ut in diverſam partem, qvàm qvo illa ducit, tendere rectè non poſſimus. Puſend. l. c. Cap. VI. §. 5.* Qvod cum dicimus, non id volumus, ac ſi frænum illud libertati noſtræ injectum, ita cogat voluntatem hominis ut in diverſam partem tendere & flectere ſe de facto non poſſit; id enim non regulæ, ſed phyſicæ alicujus coactionis & neceſſitatis eſſet, cum omnis actio moralis ab ejusmodi neceſſitate & coactione libera

bera eſſe debeat: *Sed qvod id efficiat, ut ex interno animi motu agamus, atq; ea qvæ nobis injunguntur, veluti noſtro judicio aſſenſuq; approbata, utiq; fieri debere percipiamus, eruditè monente Exc. Krebſio Lib. I. Mor. & Jur. Scient. Cap. VI.* §. *XI.* adeoqve ſi qvid mali aliter, qvàm Lex vult, agentibus nobis accidat, non immeritò id nobis accidere judicemus, cum normam prout par erat, ſeqventibus, iſtud evitaſſe licuerit.

§. IV.

Cum autem qvivis alterum obligare non posſit, nec omnis legem ferre poteſt: Ea propter dicimus in definitione, qvod Lex detur à Superiore. Nam ad introducendam in animum hominis obligationem ad agendum hoc & vitandum illud efficacem, reqviritur, ut procedat à tali, qvi auctoritate & vi cogendi gaudet, qvam inferior debet revereri, qviqve juſtas cauſas habet, qvare poſtulare qveat, ut ex ſuo arbitrio voluntatis humanæ libertas circumſcribatur. Qvorum reqviſitorū ſi unum abſit, ceſſat obligatio. Neq; enim ille, qvi vires tantùm cogendi habet, rationem verò nullam, qvare libertati meæ agendi frenum imponere velit, dare poteſt, me obligare ſibi, ſed terrere valet: neq; ille, qvi juſtas qvidem cauſas ſe habere oſtendit, qvare veſit, ut hoc vel illud faciam, vel intermittam, vi autem cogendi, mihiqve contranitenti ipſi malum aliqvod repræſentandi eſt deſtitutus, efficere poteſt, ut voluntatem meam ipſius conformem. Hinc Legis etiam duæ partes ſunt, definitiva altera, qva definitur, qvid faciendum omittendumvè ſit: altera vindicativa qvæ indicat, qvænam pœna violatori Legis ſit propoſita. Ipſa autem punitio inter effectus & finem legis recenſeri non debet, cum non primariò, ſed ſecundariò & per acci-

dens ſaltem eam intendat. Addunt & alii tertiam partem ſcilicet permisſionem indifferentium; *Sed quia permisſio fit ſine obligatione, & necesſitatem nullam imponit, minus propriè in hunc numerum venit. Hornej. lib. IV. de Mor. cap. III, §. 18.*

§. V.

Subjectum cui dari Lex & introduci obligatio poteſt, ſolæ creaturæ rationales ſunt. *Lex enim*, inqvit, *Exc. Dn.* Röhrenſee *l. c. §. 13, imperat, vetat, punit, itaq; præſcribi non poteſt, niſi agentibus liberis, qvæ inter bonum & malum honeſtum & turpe diſtingvere, illud eligere, hoc autem reſpuere norunt*; id autem ſoli homini competere in aprico eſt. Ea propter iis, qvæ hac eligendi agendiqve libertate deſtituta ſunt, fruſtra Lex datur; neqve enim intelligere, neqve ſe ad eandem flectere poſſunt. Præterea non ſufficit, ut ſubjectum illud, qvod legem recipere debet, ſit intellectu & voluntate præditum, ſed reqviritur inſuper, ut ſubſit imperio illius, à qvo legem accipit. Qvomodo enim ille, qvi nullius poteſtati ſubjectus, ſed ipſe ſuperior eſt, obligetur, ut ad alterius nutum actiones ſuas componat? neqve verò ſeipſum ſibi obligare poteſt, qvia ſeipſum cogere non poteſt. *Et ſi vel maximè in agendo certum modum obſervet, & à qvibusdam actionibus conſtanter abſtineat, id tamen non ex obligatione aliqva, ſed proprio ex beneplacito facere intelligitur. Pufend. l. c. cap. VI, §. 8.*

§. VI.

Qvoniam verò nemo obligari poteſt, niſi ſciat qvis & ad qvid eum obliget, Lex, ut ſubjecto, qvid ſuperior ab

ipſo

ipſo fieri velit, innoteſcat, promulgetur neceſſum eſt. Nihil autem intereſt, ſive voce, ſive ſcripto id fiat, modo ſenſus legis rectè percipiatur. Rectè autē percipitur, ſi eâ, qvâ poteſt perſpicuitate à promulgantibus explicatur, ſiqve nimis obſcura ſit, explicatio ejus à Legislatore ipſo petatur: Secus ſi ſit, violatio ejusdem, qvia per ignorantiam fit, excuſat. *Unde more ſuo i. e. tyrannicè faciebat*, verba ſunt *Horneji Lib. III. de Mor. Cap. IV: §. 18. C. Caligula Imperator, qvod vel vectigalia indiceret, ſed non proponeret, & ſi legem propoſuiſſet id minutiſſimis literis & anguſtisſimo loco fieri curaret, ne cui deſcribere liceret, vid. Sveton. in Calig.* Qvapropter hac in parte, uti in omnibus aliis Legislatores ſummum Legislatorem Deum imitari debent, qvi legem ſuam, qvam mortalium cordibus inſcripſit ſatis ſuperqve per naturale rationis lumen promulgavit atqve hodienum gromulgat, *ut Gentes etiam Legem*, ſcilicet poſitivam, *non habentes, faciant naturâ, qvæ legis ſunt. Rom. 2.* Conſtat enim inter omnes, qvod divinitus naturam intelligentem acceperimus, cujus ope cognoſcere & dijudicare poſſumus, qvæ ſunt honeſta, & humanæ dignitati conſentanea, qvæ verò turpia & indecora. Qvam primum ergò incipimus ratione uti, & inter bonum & malum diſcernere, agendorum & omittendorum regula nobis actu applicatur & cum effectu proponitur & promulgatur: *Excell. Krebſius l. c. Cap. VI. §. 21.*

§. VII.

Finis Legum in definitione continetur, ut nempe inferior ad voluntatem ſuperioris actiones ſuas componat. Verùm id rectè intelligendum eſt, neqve enim inferior

ſemper

ſemper voluntatem ſuam ad ſuperioris voluntatem conformare debet, neqve ſuperior ad omnia, qvæ ipſe vult, inferiorem efficaciter obligat, ut eleganter monſtrat *Hornejus l. c. Lib. IV. Cap. III. §.35. Nullum dubium eſt,* inqvit, *licet Pater propter crimen aliqvod dignus morte ſit, filii pietatem reqvirere, ut nolit mortem patris, nec Deus hoc in ipſo improbat, cum ipſe ϛοργὴν iſtam naturæ inſeverit; & nihilominus tamen Deus vult noxium patrem ad ſupplicium rapi.* Sufficit itaqve ut inferior id velit & agat, qvod ipſum ſuperior agere & velle vult. Qvod cum à Civibus in Republica aliqva conſtanter obſervatur, meritò illa de Summa felicitate gloriari poteſt: Cumqve Leges debeant eſſe præcepta de virtute, ea certè Reſpublica, cujus Cives ſecundum virtutem vivunt, qvod ad ſummum veſtigium evehatur, facilè intelligere eſt.

§. VIII.

Diviſio Legis Auctorum varia eſt, nobis illa placet, qva ratione cauſæ efficientis dividitur in Divinam & Humanam. Divina eſt, qvæ DEUM Auctorem habet: Humana, qvæ ab humana Majeſtate ortum trahit. Illa viciſſim vel neceſſaria ſive naturalis eſt, vel voluntaria ſive poſitiva. Humana Lex preſsè loqvendo omnis poſitiva. Cum verò Leges DEI poſitivæ Theologicæ potius qvam Philoſophicæ conſiderationis ſint, Theologis etiam illarum explicationem relinqvimus, nos de lege naturali & humana pauca jam dicemus.

§. IX.

LEX IGITUR NATURÆ eſt Regula menti humanæ naturaliter inſita ſuggerens principia practica, qvæ actum ſua

natura

natura honeſtum precipiunt, turpem vetant. *Excell. Dn.* Röhrenſee *l. c. Theſ. XIV.* Qvidam ita definiunt: *Lex ſive jus naturæ eſt, qvod natura omnia animalia docuit.* Verùm definitio hæc accurata non eſt. Malè enim brutis ſimul tribuit, qvæ ſoli hominis naturæ conveniunt. Dubium qvippe nullum eſt, ſicuti indifferentia ad utrumq; oppoſitorum cum electione in bruta non cadit; ita etiam nec jus ipſis competit ſive Lex. Sunt qvidem in Scriptura ſacra loca, qvæ delicta adeoqve etiam pœnas brutis tribuere videntur. Sic *Exod. XXI. verſ. 28.* bos cornupeta, qvi hominem occidit, & *Levit. XX. verſ. 15,* beſtiæ qvibus Vir aut mulier ad libidinem abuſi fuerunt, lapidari & interfici jubentur. Cur enim bos cornupeta & jumenta illa puniantur, ſi non peccant, pœna enim omnis propter peccatum irrogatur? Verùm enimverò reſpondemus, prius vel factum eſſe, ut eò magis conſtaret non leve peccatum eſſe homicidiũ, qvippe cum ſangvis humanꝰ etiã à bruto repetatur; vel ideò, ne in poſterum aliis ſimilem noxam inferret, & dominus puniretur in re ſua, qvia eam negligenter cuſtodiiſſet. Poſterius verò in deteſtationem criminis & abolendam omnem memoriam rei tam nefandæ, ne beſtia ſuperſtes hominis ſupplicio affecti memoriam cum ignominia ſemper refricaret, *vid. Puſend. l. c. Lib. II. cap. III. §. 3. Hornej. l. c. Lib. IV. Cap. III. §. 21.* Si verò per legem naturæ intelligamus naturalem inſtinctum, qvo bruta æqve ac homines inclinantur ad ea facienda, pvæ ſunt congrua naturæ ſuæ, & jus conſervativa, citra reſpectum moralitatis, deſcriptio qvidem bona eſt, ſed non explicat id, qvod explicare debet.

§. X.

Verùm redeamus ad inſtitutum. Lex naturalis actuum moraliũ, prout in ſua natura boni vel mali ſunt, regulã conſtituit. Propterea enim indita à Deo hominibus eſt, ut non modò indicet, qvid bonum & honeſtum, malum item ac turpe, verùm etiam ad bonum amplectendum malumq; fugiendum obſtringat. Hoc autem fit ſuggerendo principia illa practica, qvalia ſunt: Deum eſſe colendum, honeſtè vivendum, neminem lædendum, ſuum cuiqve tribuendum, & uno verbo, illa omnia aliis facienda, qvæ tibi ipſi fieri velis; qvæ principia tam nota ſunt, ut qvivis rationis compos ſi vel terminos intelligat, ipſis aſſenſum præbere cogatur. Unde etiam, ut prolixi ſimus in probanda *Legis* hujus exiſtentia, haud neceſſarium eſſe arbitramur, cùm præter ſcripturam ſacram *Rom. 2.* ipſa inſuper hominum conſcientia, ſive rectæ rationis dictamen luculenter eam oſtendat. Sunt qvidem, qvi Legem hanc omnium hominum, aut gentium, aut ſaltem plerarumqve & cultiorum conſenſui ſuperſtruunt; Verùm probandi hic modus lubricus eſt & mancus. Qvi enim prius aſſerunt, impoſſibile eſſe, ut qvis, qvi actu ratione utitur, contra legem naturæ peccet, non attendunt, qvippe cum ipſo, qvi utiqve generis humani pars eſt, in diverſum abeunte, conſenſus humani generis jam ſit mancus. Neqve verò alteri fundamento ſuperſtrui poſſe, argumento illud eſt, qvia nemini omnium populorum tam antiqvorum qvam recentiorum vocabula, nedum mores & inſtituta cognita ſunt. *Pufend. l. c. Lib. II. cap. 3. §. 7.* Imò nec ex conſenſu moratiorum Gentium erui hoc jus poſſe, rem probè perpendenti perſpicuum eſt; adhuc enim inter gentes immenſo plus controverſum eſt, qvænam

præ-

præ aliis virtutis ingeniiqve laude excellant. *Cum que tot Gentes civilibus utrobiq; imperiis maximo intervallo diſtincta ſint, moribusq; ſuis æqvali libertatis gradu utantur, non ſanè videtur unius in alterum æqvè liberam tanta poteſtas eſſe, ut iſtam non niſi exemplo ſuo ad obſervantiam juris communis auſit obligare. Eſt autem id usqve adeò proprium juris naturæ, ut non poſſit ullo modo tanti nominis latitudinem exhaurire, niſi æternam ubiq; vim habeat obligandi. Rachel. Diſſert. de Jure Naturæ §. 17.* Ea propter melior probandi ratio ex ipſa ſcriptura ſacra *Rom. 2.* atqve ex rectæ rationis Dictamine ſumitur; Hæc enim cum dictitet, eſſe Numen aliqvod, qvod creavit omnia omniaqve adhuc conſervat & regit, idemqve juſtum, verum, bonum atqve vindicem malorum, hominisqve naturam ita formaſſe, ut citra ſociabilem vitam ſervari neqveat, dictat qvoqve illud Numen eſſe colendum, honeſtè vivendum, ut illud propitium habeamus, atqve eosdem, cum qvibus ineunda nobis ſocietas ſit, non eſſe lædendos, ſed ſuum cuiqve tribuendum, atqve adeo omnia ipſis facienda, qvæ nobis ipſis fieri velimus, ne ſcilicet pax, ſine qva ſocietas illa tuta eſſe neqvit, violetur & rumpatur; Qvæ principia & ſi qvæ plura alia ſunt, una cum concluſionibus neceſſariò ex iſtis principiis deductis, materiam Legis naturæ conſtituunt.

§. XI.

Atqve hæc Lex naturæ obligat omnes homines, qvotqvot ratione ſua uti qveunt, ut actiones ſuas, circa qvas occupatur, ad eam conformes reddant. Cum autem ſuperius duas cujusvis Legis partes eſſe diximus,

definitivam, qvæ qvid faciendum vel omittendum, & vindicativam, qvæ qvod malum intermittenti præceptum & interdictum facienti ſit propoſitum, dictitet, notandum eſt, poſterius Legem naturæ paulò obſcurius facere: Dum ratio qvidem dictitat, non paſſurum omnipotens Numen & tam bene de mortalibus meritum, ut ipſius voluntas abs creatura ſua per petulantiam ſpernatur, qvæ tamen & qvanta pœna pro qvovis delicto ſit infligenda, non determinat, tantum tamen abeſt, ut pœnam effugere Legis hujus violator poſſit, ut potius aſſiduæ domeſticæqve furiæ atqve malæ conſcientiæ morſus illum terreant, vexent & exagitent.

§. XII.

Præterea cum Lex hæc in ipſa ſanctitate & juſtitiâ DEI eſſentiali fundata ſit, ipſam qvoqve immutabilem eſſe, atqve omnem omninò diſpenſationem reſpuere, neceſſum eſt, propterea qvod juſtitia & ſanctitas DEI utiqve omnem alterationem atqve mutationem reſpuat. Verùm an ipſe etiam DEUS, cum Auctor hujus Legis ſit, per peculiarem indulgentiam ab obligatione ejus qvemqvam liberare poſſit, ita ut in certo caſu Lex ea, qvæ omnes obligat, iis circumſtantiis, qvibus obligat, eum non obſtringat, dubitari adhuc qveat, præſertim cum ejusmodi caſus dentur, qvæ imaginem mutationis alicujus præ ſe ferunt, v. g. qvod imperaverit Abrahamo, ut filium unigenitum occideret, *Gen. XXII. v. 2.* Iſraelitis, ut vaſa aurea & argentea ab Ægyptiis comodatò accepta ſecum auferrent *Exod. XI. v. 2.* &c. Verùm enimverò Lex naturalis immutabilis manet,

qvia

qvia Deus contra juſtitiam ſuam agere non poteſt. Qvod autem caſus allatos attinet, diſtingvendum erit inter τὸ diſpenſare & inter τὸ materiam legis tollere, h. e. id efficere, ut contra Legem naturæ non peccet, qvi aliàs citra mandatum ejus, qvi vitæ & rerum Dominus ſupremus eſt, omninò contra eandem peccaret. Licuit igitur Abrahamo occidere filium, non qvod homicidium ſine culpa perpetraret, ſed qva homicidium non erat. Licuit etiam Iſraelitis vaſa Ægyptiorum auferre; qvia ipſorum erant, poſtqvam ſententia DEI, in cujus manu eſt transferre dominia rerum, à qvo in qvem vult, iis conceſſa erant. Qvam in rem elegans à Grotio exemplum adfertur. *Si enim*, inqvit, *creditor qvod ei debeo acceptum ferat, jam ſolvere non teneor, non qvia jus naturæ deſierit præcipere ſolvendum qvod debeo, ſed qvia qvod debebam, deberi deſiit. vid. ipſe Lib. I. de J. B. & P. Cap. I. §. X. num. 6. Pufend. l. c. Lib. II. Cap. III. §. 5. Hornej. Lib. IV. de Mor. Cap. III. §. 37. ſeqv. Wendeler. in Diſſert. de Æqvitate §. XII. Glaſer. in Diſſert. de Jure Naturæ §. XIIX.*

§. XIII.

Conſideratâ eâ, qvâ potuit & licuit, brevitate Lege Naturæ, eqvidem ad ſpeciliora deſcendere chartæ anguſtia non permittit, paucis Legem etiam humanam contemplabimur. Eſt autem Lex Humana *regula, qva Majeſtas Civilis actus civium indifferentes pro uſu & conditione Reipublicæ dirigit, atq; determinat, eosq; ad faciendum id qvod imperatur, & omittendum qvod interdicitur obligat, Excell. Kohrenſee l. c.*

Theſ.

Theſ. XIV. Genus iterum regula eſt; juxta legem enim civilẽ actiones ſuas cives inſtituere debent. Cauſa Effici-ens Majeſtas Civilis eſt. Objectum ejus ſunt actus Civi-um indifferentes, qvi per ſuperiorem legem nondum determinati ſunt, ſed determinationem ab externo prin-cipio, voluntate ſcilicet Majeſtatica, accipiunt. Hinc Ariſtoteles etiam hanc legem definit *V. Eth. 10. quod ſit, quæ tale qvid præcipit, qvod ab initio, utrum hoc vel illo modo fieret, nihil referebat, ubi verô conſtitutum eſt, refert.* Notandum autem eſt Legem Civilem du-plici reſpectu ita dici, vel Autoritatis, vel Originis; priori ſenſu leges civiles vocantur omnes leges, juxta qvas in jure Civili jus dicitur, ex qvacunqve demum o-rigine promanent. Poſteriori Lex Civilis eſt, qvæ uni-cè à voluntate ſummæ Poteſtatis Civilis profecta eſt, ac circa illa verſatur, qvæ per jus naturale ac divinum in-differentia ſunt relicta, ad peculiarem tamen Civitatis utilitatem faciunt. *vid. Puſend. Lib. VIII. de J. N. & G. Cap. I. §. 1.* Nos in ſenſu poſteriori hìc legem Civilem ac-cepimus. Obligat autẽ hæc Lex non omnes in univer-ſum homines ſicut Lex naturæ, ſed eos tantùm, qvibus data & promulgata eſt, qviqve ſubjecti ſunt iſti, qvi le-gem ſancit, nec intereſt ſive Imperans infidelis ſit ſive fidelis, cùm fides Chriſtiana magiſtratum & leges po-liticas non tantum non tollat, ſed maximè confirmet. An verò obliget in conſcientiâ, dubitari adhuc poſſet. Nos diſtinctione aliqvâ adhibitâ, rem ſalvam eſſe pu-tamus: Obligatio nempe in conſcientia duplex eſt, vel directa, cum legis prævaricatione ipſe Deus immediatè offenditur; vel indirecta, cùm transgreſſio Legis per ſe & proximè Deum ejusqve cultum non attingit, re-

motè tamen & mediatè, qvatenus ſc. generali Dei ordinationi reſiſtit, ejusqve miniſtros contemnit. His ita conſideratis, dicimus, Leges Civiles obligare ſubditos in Conſcientia indirectè, h.e. propter Deum, cujus Magiſtratus miniſtri ſunt, ſed cum hac conditione, niſi manifeſtò impiæ & contra legem naturæ ſancitæ ſint, tunc enim illud Apoſtoli obtinet. *DEO magis eſt obediendum qvam Hominibus.* Qvemadmodum autem in poteſtate Majeſtatis Civilis eſt, Leges condere; ita qvoqve mutare easdem & circa easdem diſpenſare poteſt. Qvapropter paucis anteqvam finem huic diſſertationi imponamus, qvid Abolitio, diſpenſatio, ut & correctio juris ſeu Æqvitas ſit, oſtendemus.

§. XIV.

Abolitio Legis nihil aliud eſt, qvam actus, qvo Legislator efficit, ut id, qvod Lex erat, ſimpliciter Lex eſſe deſinat, nec qvemqvam amplius obliget. Verùm cautè hic procedendum, nec niſi gravisſimis de cauſis ejusmodi mutatio Legis inſtitui debet, præſertim ejusdem, qvæ diu in republica viguit; *Nihil enim magis obedientes legibus ſubditos reddit; qvam diuturna conſvetudo iis parendi. Hornej. l.c. Lib. IV. Cap. III. §.34.* Abolitio igitur Legis facit, ut in totum Lex amplius non obliget, à qva differt diſpenſatio, qvæ certas tantum perſonas non obſtringit, eas nempe, qvas qvidem Lex etiam per ſe aliàs obligaret, ſed qvæ per ſpeciale privilegium Superioris ab obſervatione Legis principio cum daretur, exemptæ ſunt. Æqvitas ſive ἐπιείκεια eſt Correctio juris ea in parte, qva deficit ob ſuam univer-

ſali-

ſalitatem. *Nam qvia caſus*, inqvit, *Grotius Lib. I. de J. B. & P. Cap. XVI. §. XXVI. 1. nec prævideri omnes poſſunt nec exprimi, ideo libertate qvadam opus eſt eximendi caſus, qvos qvi locutus eſt, ſi adeſſet, eximeret, non tamen temerè, id enim eſſet Dominum ſe facere actus alieni, ſed ex ſufficientibus indiciis.* Hancqve ἐπιείκειαν non adhibere tantùm poteſt judex ſed & debet, adeò ut ſi nudam legis literam ſecutus fuerit in caſu, ubi æqvitati locus erat, contra mentem Legislatoris feciſſe ſit cenſendus. Non tamen putandum eſt, ac ſi ad mitiorem tantum partem ſe extendat æqvitas, ob diverſitatem enim circumſtantiarum ad partem ſeveriorem etiam inclinat, v. g. Legibus ſancitum eſt, homicidam eſſe pœna capitis ſive decollatione plectendum; ſi qvis verò occidat Principem, graviori certè pœna eſt afficiendus, & vel rota contundendus vel forcipibus ignitis dilacerandus. *vid. Cellar. Polit. cap. IIX, §. 36. Schilter. Manud. Phil. Mor. ad Jurispr. Cap. IX, §. 47.* Contra ſi qvis occidat aliqvem, qvem ſaltem leviter verberare voluit, ſeqvaturq́; ſeria pœnitentia; vel etiam per Moderamen inculpatæ tutelæ, ne capitis qvidem pœnam ille incurret,

TANTUM!